

Jahresgeschichten der Franciscaner in Baden.

635

1612. Monasterium occuparunt fratres Capucini.

1674. Tota civitas una cum monasterio et ecclesia a Gallis incinerata.

1702. Quidquid e domibus et ecclesia erat residuum, a Gallis fuit solo aequatum, ut hodie videre est.

Offenburgum. Fratrum. In dioecesi Argentinensi et custodia Alsaciae, p. 246.

1280. Magistratus Offenburgensis quosdam suorum civium ablegavit Moguntiam ad fratres minores in capitulo ibidem congregatos, eosdem perquam humaniter invitantes, ut ad suam urbem declinarent in ea monasterium aedificaturi; quod etiam hoc anno eleemosynis collectis et magistratus ac civium auxilio feliciter inchoarunt. litterarum vero, quas miserant, hic advertit copiam.*

1284. 5. Idus Decemb. Henricus praetor Offenburgi et uxor ejus nomine Beata praeter insignes eleemosynas pro construendo monasterio donarunt fratribus integram suam lapicidiam in Vesenbach.** *M. W.* 204.

1335. In ecclesia nostra sepelitur Gertrudis uxor Riggoldi omnium opinione beata, cujus tumulus contigitur lapide majori humo alius prominente. *M. W.*

1437. Frater Joannes Schönlein guardianus totum monasterium omnesque redditus sponte sua tradidit et donavit magistratui tum ut repararet tum ut sibi ad dies vitae honesta praebeatur sustentatio cum annua pensione; verum minister provincialis Conradus Bömlin paucos post annos illud vendicavit. *M. W. extr.*

1689. 15. Sept. totum monasterium furente Gallica Bellona misere fuit incineratum.

1696. Iterum propriis mediis et eleemosynis funditus fuit reaedificatum. *M. W.*

Pforzheimium. Fratrum. In dioecesi Constantiensi et custodia Sueviae, p. 259.

1270. Constructum fuit monasterium eleemosynis fratrum, ope et liberalitate civium.

1416. 11. Sept. Dum monasterium repararetur ac potissimum funditus erigeretur, quatuor cardinales sede vacante certas indulserunt indulgentias omnibus ecclesiam fratrum visitantibus atque eleemosynam pro nova structura clargientibus.

1443. 13. Octob. intrusi fuerunt Observantini, eis

* Es folgt hierauf eine fehlerhafte Abschrift des Briefes, die ich weglassen, weil er nach dem Original in der Zeitschr. f. d. G. d. Oberrh. 5, 243. abgedruckt ist.

** Die Urk. steht daselbst. Vesenbach liegt nordöstlich von Offenburg am Gebirg.

patrocinate marchione Badensi et comite de Spanheim Carolo.

1555. Observantes a Lutheranis expelluntur.

1629. 26. Maij. Hujus monasterii restitutionem repetiit provincia a marchione Badensi Guilielmo. *Prot. 5. ad an. et diem suprad.*

Pfullendorfium. Soror. Tertiari. In dioecesi Constantiensi et custodia Lacus, p. 260.

1350. Sorores istae habitare coeperunt ad moenia civitatis paulo superius a domo parochiali, collectae ex quibusdam viduis sub 3. regula s. patris Francisci, in domibus privatis antea habitantes, pro cura agrorum ex misericordia et bona voluntate imprimis deputatae, quae successu temporis cum senatus eas ad id munus adigere vellet, etiam oblati aegris in Tieffenthal, recusarunt.

1403. Sorores hanc suam praedictam domum commutarunt cum illa juxta coemeterium (pro ecclesiae parochialis frequentatione), quae fuerat Conradi Schurpfeisen vicarii et plebani in Pfullendorf, quam emerat anno 1400. proxima die Lunae ante exaltationem s. crucis a Joanne Selnhöfer. Notandum, quod domus istius, ubi nunc habitant sorores, cum horto et area usque ad domum concionatoris pomeridiani et versus murum ad plateam fullonum protendentem murum illum senatus construere et conversare teneatur. spectaverat olim ad parochum in Sauldorf Joannem Zemler, quem ille vendidit anno 1397. cuidam civi Juliomagensi nomine Selhofer.

1597. 22. Junii. Provincialis impetravit a senatu licentiam aedificandi ecclesiam juxta parochialem, coemeterii agros et bona immobilia, et hereditates sibi obvencientes adeundi, quae senatus monialibus ad instantiam provincialis concessit. *Litt. n. 2.*

1598. Constructio ecclesiae fuit omnino consummata propriis monialium sumptibus et eleemosynis collectis.

1629. 23. Sept. patri provinciali gratias impense egerunt consules pro litteris intercessionalibus datis ad Joannem Adolphum Wolffstier, s. caes. majestatis in negotiis rei bellicae commissarium, quibus efficaciter supplicatum, ut contributiones Pfullendorfensis civitatis in rem militarem impositae remittantur vel minuantur, quod et factum fuit, nam 1000 fl. debitum ad medietatem relaxatum et 300 fl., quos singulis mensibus pendere oportebat, dimidium detractum scil. usque ad 100 imperiales. *Prot. 5. an. et die ut supra et litt. n. 4.*

1630. Nuncius Lucernensis Cyriacus Roccius ad instantiam patris provincialis concessit, ut asservetur ven.

80 *